

Alte Drucke

**Dauidis Chytræi In Historiam Iosvæ, Ivdicvm, Rvth, in
Prophetas & Psalmos aliquot; & Sententias Syracidæ**

Chyträus, David

Lipsiae, 1592

VD16 C 2504 T. II

Caput V.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests please contact the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Cedes Neptalim in tabernaculis confedisse. *Filijs Obab*) Posteris *Obab*, filii Raguelis Madianitæ, socii Mosis, Num. 10. qui, discedente ab Israëlitis sacer Mosis (Exod. 18) in castris Israëlitarum mansit, & oculus exercitus, secundus & monstrator itineris in deserto Pharan Israëlitis fuit, Num. 10. cuius posteri Cinei primum prope Hiericho, postea in finibus tribus Iuda & Amalechitarum habitarunt, Iud. 1. 1. Reg. 15. Aber autem, maritus Iaëlis, qui Sifaram interfecit, prope Cedès in tribu Neptalim tabernacula fixit, Iud. 4. 22 Hobab, dilectus. *Vsq; ad vallē, quæ vocatur Sennim*, In Ebraeo duo verba sunt, אֶלְוֹן מִגְרָא Elon queretum. *Senpim* מִגְרָא Migratio, expatriatio. *Iuxta Cedès*) Vrbem sacerdotum & asyli impositam monti, de qua paulo ante, verl. 6. Huc vsq; parenthesis inserta per πεόλην, ob ea, quæ de Iahele, uxore Heber Cinei, verl. 18. & sequentibus commemorabuntur. *Perserruitg, Dominus Sifaram* οὐδαμονίοις Φέσοις Φέγγουσι καὶ παιδεῖς θεῶν. Iosephus addit, tempestatem magnam inter præliandum excitatam, & vim ventorum ac grandinem in aduersos hostes cœlitus deiecatam. *Sifara autem fugiens, peruenit ad tentorium Iahele, uxoris Aber Cinei*) Cuius paulo ante, verl. 11. κατὰ πεόλην mentio facta est. Cætera inter locos Doctrinæ Num. 7. explicata sunt.

Caput V.

CANTICVM DEBORAE.

DRAECIPVVS & summus D E I cultus, quo in primis se delectari & honore affici Deus ostendit, est vero corde agnoscere & profiteri, Deus non esse inane nomen, nec ociosum, negligere pios in periculis ad ipsum configuentes, sed vere adesse nobis præsentem & opitulatorem, & in tantis miserijs opem ferre inuocantibus propter filium mediatorem. Ideò vult Deus à nobis inuocari, & liberationes ex periculis, aliaq; bona peti à se & expectari, & pro acceptis beneficijs & liberationibus gratias agi, vt hunc honorem ipsi tribuamus, quod vere sit Deus, sapiens, verax, bonus, misericors & omnipotens, qui vere curet, exaudiat & iuuet recte inuocantes eum propter Filium, & vere autor & dator sit omnium bonorum & beneficiorum ac liberationum mirandarum. Ideoq; vicissim nos ei subiaceat & grata facere, & hanc Dei bonitatem clara voce & laudibus pijs celebrare, vt & Deus gloria associatur, & plures homines ad veram agnitionem & inuocationem Dei inuitentur. Hoc consilio Debora etiam & Barac, post mirandam victoriam & liberationem ex tristi seruitute, qua sub Iabini & Sifara tyrannide oppressi fuerant, à Deo impetratam, illustre hoc beneficium Dei, grata mente ac voce celebrant, ac vt diuturnius ad posteritatem memoria tanti beneficij conseruaretur, & numeris ac cantu adhibito, penitus in audientium aures & animos insinuari, & affectus ac motus verbis congruentes accendere posset (sicut de Canticis & Musicæ vsu in sacris, prolixæ in Cantico Mosis explicatione, Deut. 32. dixi) gratiarum actionem, carmini pio & eruditio triginta versibus constanti, includunt. Quod, vt ceteræ gratiarum actiones, ad genus causarum demonstratiuum, maxima ex parte pertinet. Laudes enim D E I præcipue, autoris & datoris victoriæ, & Debora

¶ ac Barac ducum belli, & Iahelis, quæ Sifaram trucidauit, ac piorum militum ex tribu Zebulon & Neptalim celebrat. Sicut vicissim Sifaram hostem populi *Dei*, à Debora victum, & à Iahele trucidatum, & Israëlitas mandatis Debora inobedientes vituperat.

Primi duo versus PROPOSITIONEM continent, BENEDICITE DOMINO. Est autem Benedicere Domino, seu gratias agere, mente & voce confiteri, non casu nos ex periculis liberari, nec casu nobis omnia bona offerri, vel nostra tantum industria & virtute parari, sed quod Deus vere omnium beneficiorum & liberationum autor sit, & omnia bona spiritualia ac corporalia nobis tribuat: & propterea vero corde se vicissim subiungere, & grata facere, & studiosè omnia quæ illi displicant, fugere & vitare; & bonitatem ac beneficia *Dei*, externa voce etiam, & hymnis ac laudibus pijs, & totius viræ obedientia celebrare, ut & Deus gloria debita afficiatur, & alij homines ad veram agnitionem & inuocationem *Dei* inuitentur. Nec vero aliud quidquam flagitat à nobis Deus pro immensis beneficijs, quæ in nos quotidie cumulate effundit, nisi agnitionem, gratiarum actionem, & celebrationem sui, Psal. 115. Quid retribuam Domino, pro omnibus, quæ tribuit mihi? Tibi sacrificabo hostiam laudis, & nomen Domini celebrabo. Psal. 106. Eripuit eos de interitu, ideo confiteantur Domino, & sacrificent sacrificium laudis, & annuncient opera Domini cum exultatione. Id Ebræi nominant, Benedicere Dominum, ut totus Psalmus 103, Benedic anima mea Domino, ostendit.

Vt autem Maria virgo, carmine suo in primis summum hoc *Dei* beneficium celebrat, quod se humilem, spretam & contemptam ancillam, Deus ad hunc summum honorem euexerit, vt Filij ipsius Scrutoris ecclesiae mater esset: ita præfenti carmine Debora & Barac, præcipue coimmemorant & laudibus efferunt, quod summis principibus & præcipuis tribubus ac familijs in Israël, ignavis & cœstantibus, nec suscipere aliquid periculi pro communi defensione & salute audētibus: Deus per humiles, infirmos & imbecillos homines, per Deboram & Iahelem fœminas, per Barac, Abinoiten, & obscuras ac infirmas tribus Zebulon & Neptalim, hostes ferociissimos & potentissimos depulerit, & victoriam amplissimam & libertatem, salutem ac felicitatem pristinam, toti Republicæ Israëlis donārit. Nam beneficij tanti, per tam imbecillas & humiles personas præstati, circumstantiam, præcipue hoc canticum exaggerat & amplificat. Sed versus ipsos ordine perlegemus, quos, non ad Latinorum aut Græcorum carminum leges, legitimam pedum compositionem, certa syllabarum quantitate, numero modoq; definientes, nec ad Germanicos rhythmos, æquali numero syllabarum & similiter cadentibus aut desinentibus postremis syllabis constantes, qualia recentium etiam Iudæorum carmina Ebræa esse solent, congruere videmus. sicut quidam Hexametros, Elegiacos, Iambicos, Tetrametros versus, in canticis Biblicis comminiscuntur, in quibus demonstrare Ebrææ linguae peritis, numeros & pedes certos nequeunt. Singuli autem versus sententiam & constructionem integrum & perfectam continent, & pleriq; longitudine fere pares sunt, etiamsi exitus in fine congruentes non habeant.

Cecinerunt.) De Musica & Canticis copiosè explicata in præmio cantici Mosis, Deut. 32. huc assumentur. In illo die) Statim accepto beneficio gratiæ agendæ.

Versus

Chy

Versus primus Cantici.

בָּרוּ כְּרֹתִים בַּיְשָׁרָאֵל :
בָּהֲתָבוּבָם בְּרָבוּ יְהוָה :

In liberando libertates in Israël : in sponte se offerendo populum : Benedicite D o m i n o , hoc est, Dum in libertatem vindicat (*Deus*) Israëlem (tyranno Sifara) dum sponte se offert populus (ad periculum in bello contra Sifaram, animas & vitā pro liberatione patriæ impendens) Gratias agite Iehouæ, qui vos liberauit & ad gerendum bellum alacres reddidit. Santes verbum יְהוָה in priore Hemistichio, vertit, vlcisci seu vindicare. Dum vlciscitur vltiones in Israël, hoc est, dum *Deus* vindicat seu punit peccata populi Israël tyrannide Sifaræ ; & dum populus sponte arma pro recuperanda libertate sumit, quasi dicat, vtroq; tempore calamitoso & prospero, aduerso & secundo, Benedicite Domino, vt Psal. 34. dicitur, Benedicam Dominum in omni tempore, afflictionis & liberationis, infelici & felici, vt Augustinus Psal. 70. inquit: Sine intermissione *Deo* gratia agēdæ sunt: in prosperis, quia consolatur: in aduersis, quia corrigit: antequam essemus, quia fecit: cum essemus, quia salutem dedit: cum peccassemus, quia ignouit: cum conuersi essemus, quia adiuuit: cū perseverassemus, quia coronauit. Ita plane repleatur os nostrum laude, vt prædicemus tota die beneficentiam Dei. Etsi autem pia & grauissima hæc sententia est, tamen priorem, propriæ verbi γένος significatiōni propiorem, & maxime perspicuam, ex primo versu expressam esse Castaleone, arbitror. Ob vindicatas Israëlitarum iniurias, ob voluntarium exercitum, gratias agite Iehouæ. tametsi non deest, qui prius hemisphrium reddat, in expediendo expeditiones Israël, seu, cum expedire expeditionem Israël, & verbum γένος expedire & præparare se ad bellum, propriè declarare contendat. Sed hunc semper singularem relinquo.

I I. *Audite reges & principes*) qui potentia & viribus vestris freti, populum *Dei* humilem & egenum, sed sperantem in nomine Domini *Dei* Zebaoth, persequimini. Idem enim *Dominus*, qui filijs Israël per dictum Seir & Idumeæ egredientibus præcessit, & montes seu principes & populos Israëlitarum hostes consternauit, & qui Iabini & Sifaræ exercitum deleuit: vestros etiam animos & corda vindemiare, vt Psalmus loquitur, & simili exemplo cum Sifara vos delere poterit. vel, summos proceres & principes in tribibus Israël alloquitur, qui metu hostium consternati, in hoc bello aduersus Sifaram domi ociosi & ignavi desederant, vt audiant celebrari victoriam, non per ipsos, sed per fœminam Deboram & Iahel, à *Deo* Israëlitis concessam. Ideo per anaphoram seu Ἀπόστολον repetit, εγώ Iehouæ, Ego canam, quasi dicat, Ego mulier infirma & spreta, cuius in bellis nullus animus, nullum consilium, aut robur, nullus omnino usus esse iudicatur, Ego, inquam, imbellis fœmina celebrabo *Dei* beneficium, qui per me imbecillam mulierem, tantam victoriam populo contulit.

Pueri Figurarum λέξεις καὶ διαγωγαὶ exempla, quæ exornant orationem, eamq; concinniores & viuaciorem reddunt, in hoc secundo verso, quatuor obseruent.

1. *Apostrophe*, Audite reges, audite principes.
2. *Epanodus*, quæ repetitionis species est, Ego Iehouæ, ego canam. In latina versione Epizeuxis est, Ego sum, Ego sum, vt Esa. 48. Propter me, propter me faciam.

3. *Synony.*

3. *Synonymia*, Audite, auribus percipite.
 4. *Expolitio* eandem sententiam commutatis verbis repetens, Ego sum, quæ Domino canam, psallam Domino Deo Israël.
 5. Aliqua etiam personarum *enallage* est.

Domine cùm exires de Seir) III & IIII. versus propositioni, *BENEDICITE DOMINO*, breuem descriptionem Domini Dei Iehoqæ (benedicendi) atrexunt, ab effectis, quibus se in exitu ex Aegypto & per desertum, & ad montem *Sinai* præcipue multis mirandis operibus patefecit, & se non nunc priuum, sed veterem & perpetuum Israëlitarum custodem & patronum esse ostendit.

Vt autem in eductione populi ex Aegypto & circuitu montis Seir, *Deus* excelsum montem seu regem Pharaonem & alios montes seu reges Amorhaorum liquefecit & deiecit, & terram, seu populos in terra habitantes, tremere fecit ac consternauit: & nunc Sisaram ac exercitum illius, diuinis terroribus incussis, diffluere fecit ac dissipauit: ita omnibus temporibus hostes ac persecutores ecclesiæ impios, Neronem, Decium, Julianum, &c. horribilibus exemplis punit ac delet. *Sicut Psal. 83.* historiæ huius usum & applicationem ad omnia ecclesiæ tempora ostendit. Fac illis sicut Sisaræ & Iabin in torrente Cison, disperierunt in Endor, facti sunt ut sterlus terræ.

Cùm exires de Seir) Deut. 2. Et circumiuimus montem Seir longo tempore. Dixitq; Dominus: Tansibitis per terminos fratrum vestrorum filiorū Esau, qui habitat in Seir, & timebunt vos. Fuit autem Seir, princeps Arabæ Petreæ, cuius septem filios, posteri Esau, qui Edomi cognomen habuit, expulerunt, & ab aeo Edom, Idumeæ nomen regioni tribuerunt. Eadem igitur regio illa aspera & montosa est Idumea, & montosa Seir, quam Arabiam Petram Ptolemaeus & alij Geographi appellant. *Terra morta est*) Metonymia est continentis pro contento. Homines in terra habitantes commoti & consternati sunt. Gen. 11. Erat autem terra labij vnius. Matth. 5. Vos estis sal terræ. Matt. 3. Omnis Iudea exibat ad Ioannem. Antuerpia se Parmensi dedidit.

Cœliq; ac nubes stillauerunt aquas, montes fluxerunt) Allegoriæ seu metaphore perpetuae. Cœlum, montes, aquæ, reges, Principes ac populos, Israëlitarum hostes significant, qui Deo populum ex Aegypto per desertum Seir educente perterfaeti & consternati, adeo debiles & infirmi sunt redditi, ut resistere Israëlitis nulla ratione possent vel auderent. Sinai ille mōs celsissim⁹ descendente Domino motus est. Multò magis alij mótes humiliores tremēt. V. Versus. *In diebus Sangar*) NARRATIO beneficiorum diuinorum, quæ per Deboram & Barac Israëlitis impertiuit, quæ ut illustrius conspiciantur, antithesis periculorum, cum quibus antea conflictati sunt, instituit. *In diebus Sangar*) Qui proximè Deboram antecessit, Iud. 3. *רָנוּ* nomen attrahens, vel peregrinum, vel oboli, vel humiliator. *Anath*) Miseria. *In diebus Iahel*) toto tempore vitæ Iaëlis, quæ nunc Sisaram interfecit, publica itinera infesta ab hostibus fuerunt. *לְוַיִּ*, excelsa, eleuata, ab *לְוַיִּ* ascendit. *Quieuerunt se mitæ*) Viæ publicæ non securæ & tutæ erant, sed latrocinij hostium perpetuo infestabantur, ut nemo per eas tutò iter facere & peregrinari auderet, sicut in Brabantia proximis annis circa Antuerpiam viæ publicæ propter assidas hostium incursions & latrocinia quieuerunt.

VI. *Cessauerunt fortæ*) In Ebræo est, *רְיוֹן* pagi seu villæ non circumdatae muris desertæ sunt, ut in Flandria & Brabantia plurimi frequentissimi & amplissimi pagi in hoc bello, ab incolis relieti & deserti fuerunt.

Exornant autem hunc versum duo insignia schemata lexeos, concinnitatem & elegantiam singularem orationi adferentia.

1. Epanalepsis, idem verbum אָלַמְתִּי cessauerunt villæ in Israël, cessantur : in principio & fine repetens, ut in versu : Crescit amor numimi, quantum ipsa pecunia crescit. Nazianzenus : κόσμος ὁλός τοῦτον κεκοσμένος εἶπεν. 2. Epanodos, Donec surgeret Debora, surgeret mater in Israël. Huius ero viuus, mortuus huius ero.

Insigne etiam Epitheton est bonæ principis in hoc hemistichio, quod **MATREM** populi Israëlitici nominat, sicut in Esaiæ reginæ nutrices appellantur. Debet enim in gubernatoribus paterna & materna τογὴν esse erga subditos, ut in Genesi princeps bonus, pater regionis nominatur, & passim Homerus reges suos, patres nominat, πατέρα δὲ ὡς ἄπιστον, & nobilissimus Imperitus est, pater patriæ, ut Roma patrem patriæ Ciceronem libera dixit.

VIII. *Nouā bella elegit Deus, & portas hostium ipse subuerit.* Nouā gerendi

belli rationem Deus aduersus Sifaram instituit, cum per infirmos & inermes Israëlitas, clypeis & hastis carentes, Sifaræ exercitū profligauit, sicut in Gedonis bello aduersus Madianitas, & Iosaphati aduersus Ammonitas, nouā belli gerendi & vincendi ratio à Domino usurpata est. Santes vertit, cum elegit (scilicet populus Israël) Deos nouos, tunc fuit bellum in portis, vel idololatriam Israëlitarum bellis punitam esse ostendat. Nam vox **υπόθετη** vel accusandi vel nominandi casu reddi potest, Elegit Deus noua, vel elegit (populus Israël) Deos nouos.

Clypeus & hasta, si apparuerunt in 40000. Israël. Iabin enim & Silan oppressis Israëlitis arma omnia militaria ademerant, ut hodie, in Italiae vribus, nulli gladios, sclopeta vel pugiones gestare licet, & victis ac deditis vribus, arma adimuntur. *Si apparuerunt.* Psal. 95. Si introibunt in requiem meā, id est, Non introibūt, non apparuerunt. Est enim Ebraeis usitata iurandi forma, ppositionis hypotheticæ, in qua posito antecedente, consequēs saperet Elipis desideratur. Si introibunt in requiem meam, non habear Deus verax. Si apparuerūt clypeus & hasta in Israël, habear pro mendace, vel male peream, vel grauiter à Deo puniar, simileue aliquid subaudiendum est.

IX. *Cor meum diligit Principes Israël.* Amplificatio Propositionis μερισμὸν seu Distributionem totius in partes. Totus populus Israël benedicit, seu gratias Deo pro hac insigni victoria agat.

1. Principes.

2. Equites seu mercatores, commerciorum causa hinc inde proficiuentes : nam ut apud nos curribus & equis, ita in orientalibus populis, ad homines & merces transuندandas, asinis & camelis usi sunt.

3. Iudices, hos enim vocabulo יֻדִים Middin latinus interpres intellexit, alij nomen loci, peculiariter ab hostibus infestati, esse arbitrantur.

4. Pedites, seu Plebeij & pauperes, qui pedibus itinera sua conficiunt. Hi omnes iam tutò per vias publicas incedere ad iudicia, mercatus, agriocationem exercendam, poslunt.

5. Haurientes aquas, quæ in regionibus illis, ex puteis & fontibus extra oppida plerunq; sitis (ut Rebeccæ, Rachelis, Samaritanæ, Ioh. 4. & similis historiæ ostendunt) magno cum periculo antea, vagantibus passim & sagittas in obuios magno cum clamore & sonitu iaculantibus hostium quætitibus, hauriebantur.

X. Nam in Ebraeo, versus decimi hæc verba sunt : Propter sonitum iaculanti-

culantium sagittas, in locis vbi hauritur aqua, illic narrent iusticias Domini, & iusticias villarum eius in Israël: tunc descendit populus Domini ad portas. propter sonitum iaculantium sagittas) Equitum sagittariorum, qui ad puteos aquarum latitantes, ex insidijs magno impetu & clamore adoriri solebant cives ad aquam hauriendam egressos. Illic narrent iusticias Domini) Qui iustissimo iudicio latrones hos puniuit & sustulit. Et iusticias villarum eius in Israël) 6. Villici, seu in pagis, non cinctis muro habitantes Israëlitæ Deo gratias agant, quod rursus in villis, antea metu hostium desertis, tutò habitate, & agellos suos colere possunt.

7. Cives, qui iam tutò ex portis oppidorum suorum egredi possunt.

XI. Versus: *Surge, surge, Debora, surge, surge*) Apostrophe, qua mutata persona seipsum Debora compellat, & ad tanta Dei beneficia ardenti pectore & voce celebranda excitat & accendit. Similis personæ mutatio & Apostrophe seipsum alloquentis exemplum est, Psal. 42. Dicunt mihi per singulos dies, vbi est Deus tuus. Quare tristis es anima mea? & quare conturbas me? spera in Deo.

Repetitionum οχηματα, Epizeuxis, Anaphora, Epanalepsis, aliquoties iam indicata sunt.

Apprehende captiuos tuos) תִּבְנֵי קָרְבָּן captiuam duc captiuitatem tuam, vt in descriptione triumphi CHRISTI, Psal. 68. תִּבְנֵי קָרְבָּן duixisti captiuitatem. Hortatur enim Baracum, vt hostes Cananæos, à quibus Israëlitæ antea captiui tenebantur, nunc vicissim captiuos ducat, & in triumphali spectaculo à se deuictos & captos, palam ostenter, sicut Paulus Colos. 2. Christum resuscitatum hostes à se deuictos δέ γνωσίσει τα πόνοις adfirmat.

XII. *Saluatoris sunt reliquiae populi, Dominus in fortibus dimicavit*) Ebraice, dominari fecit reliquum seu superstitem, hoc est, filios Israël reliquos & superstites ex bello seruauit Dominus, hos, inquam, dominari fecit fortibus principibus Sisaræ.

XIII. *Ephraim deleuit eos in Amalec*) Noua amplificatio *κατὰ μερισμὸν καὶ αὐθίκην*, ex locis distributionis & contrariorum. Enumerat enim tribus seu familias populi Israël, quæ ad bellum, ducibus Debora & Barac, aduersus Sifaram gestum, auxilia promptis animis contulerunt: eorumq; erga patriam & ecclesiam Dei pietatem & virtutem honorifice celebrat. Nam tali pro patria summum decus est profundere vitam. Econtra reliquias tribus ociolas & desides in tanto reipublicæ periculo, nominatim vituperat. Cùm autem Grammatica sequentium versuum, ac in primis huius XIII. versus obscurior & difficilior sit, hortor studiosos, vt attendant. Refinebo autem Santis Pagnini versionem, quæ ad Ebræum fontem quam proxime accedit. *De Ephraim radix eorum*) Debora iudex, cuius auspicijs & consilijs bellum aduersus Sifaram & Cananæos suscepit & gestum est, ex tribu Ephraim orta fuit, cap. 4. Alij de Iosua Ephraimite intelligent, qui Amalekitas, Exod. 17. debellavit: quorum reliquias Saul ex tribu Benjamin ortus postea deleuit, 1. Reg. 15. verum simplicior & propior præsenti instituti hæc ad Deboram accommodatio videtur. tametsi Amalekitarum mentio, immediate sequens, obscuriore hanc sententiam reddit. consentaneum autem est Amalekitarum mentione, per metaphoram vel synecdochen speciei pro genere, omnes Amalekitis similes populi Dei hostes, ac in his Cananæos etiam, aduersus quos Debora pugnauit, significari. Fuit autem Amalek, filius Heliphaz, nepos Esau, qui Idumeæ partem, Iudææ finitimā à suo

Chy

nomine appellavit, Gen. 36. Iud. 3. פָּנָה populus lambens, à lakak, vellaboriosus ab, חַבְעָנָה. Nec verò in sequenti colo (*in populos tuos ô Amalek*) apud Ebraeos, vox Amalec repetita est: sed hoc modo verba contextuntur: post te (ô Ephraim seu Debora) Beniamin vna cum populis suis, id est, aliqui ex tribu Beniamin se cum exercitu populi Dei coniunxerunt. *De Machir principes descendenterunt*) Machir filius Manasse fuit pater Galaad, qui trans Iordanem habitauit. Ex illa familia Machir, aliquor מִתְּחִזְקָה magnates seu principes, qui propriam iurisdictionem & potestatem cōdendi leges habebant, ad belli huius societatem accessisse refert. מִכְּרֵי mercator vel colonus. *Ei de Zebulon trahentes stylum scribe*) ex tribu Zebulon non modò milites seu magnates, sed etiam studijs doctrinæ dediti seu scribæ, trahendo calamo magis quam vibrandis gladijs exercitati, arma pro communi salute ceperunt. בְּנֵי habitatio, domicilium, à בְּנֵי cohabitauit.

X III L. *Duces Isaschar fuere cum Debora & Isaschar*) tota tribus cum ducibus seu principibus. Qui quasi in præceps ac barathrum se discrimini dedit) sicut Barac in monte Thabor aciem instruere iussus est, ita Isaschar in vicina valle, hostes à latere aggressus est, & fortissime dimicauit. *Diviso contra Ruben magnanimorum reperta est contentio*) Ebraice. In diuisionibus Ruben magna erant cogitationes cordis, id est, vehementer miror tribū Ruben ab hoc bello diuisam & separatā fuisse. idem repetit proximè sequenti versu XV.

X V. *Quare habitas (sedisti) inter duos terminos*) מִתְּמִזְבֵּחַ (duos ordines seu duas caulas ouium, vt audires sibilos gregum) Rubenitæ maiorem habatus ouium, seu rei familiaris, pecudum & agrorum suorum, quam Republicæ curam habuerunt, vt illi in Euangelio iugis boum & agris colendis, alijsq; curis domesticis occupati, venire ad cœnam magnam ecclesie cœlestis nequeunt. Rubenitas autem, præ cæteris tribubus, rei pecuanis deditos fuisse, ideoq; regionem trans Iordanem pascuis abundantem sive petitam accepisse, ex Num. 32. & alijs locis apparet. רָאשֵׁן filius visionis, videte filium. Magnanimorum reperta est contentio) eadem verba, quæ sunt in versu præcedenti, in diuisionibus Ruben magna erant cogitationes cordis. Valde mirabantur pij, seu varias & graues cogitationes in cordibus piorum excitabant Rubenitæ, quod se ab hoc bello sciungebant, & trans Iordanem diuisi manebant.

X VI. *Galaad trans Iordanem quiescebat*) vna tantum familia Machir, principes ad bellum misit. reliqui Galaaditæ trans Iordanem domi quieti runt, יְהֻדָּה aceruu testimonij, Gen. 31. *Dan vacabat nauibus*) tenuit enim tribus Dan oram Indææ maritimam, ad Ioppen portum totius Palæstinae celeberrimum, Iof. 19. Dum igitur Debora & Barac cum Cananæis dimicant: Danitæ ociosi, vt Rubenitæ suis pecoribus, ita ipsi maritimæ negotiacioni & nauibus suis vacabant. *Aser habitabat in littore maris*) situs regionis tribus Aser, ad littus maris infra Tyrum & Sidonem, vsq; ad Ptolemaidem in tabula aspiciatur. *In portibus*) יְמִינָה מִצְרָיִם in fracturis suis, vel oppidis semidirutis, vel potius, ad sinus, quos mare in terram alicubi longo traectu irrumpens, eamq; discindens efficit.

X VII. *Zabulon verò & Naphtali*) Ruben, Dan, Aser & aliae tribus haec tenus enumeratae, vel silentio præteritæ, Iuda, Simeon, Gad, Leui, nihil ad bellum auxiliij contulerunt. Inter eas vero, quæ communem defensionem adiunxerunt, tribum Zebulon & Neptalem præcipue celebrat, quæ promissimo animo vitam suam pro communi reipublicæ populi Dei incolumitate & fa-

Chyf

& salute mortis periculo exposuerunt. *In regione Marome*) appellatiuē redendum fuit, in regione alta. nam Marome altitudinem significat, videlicet montis Thabor, in quem Barac superiore capite exercitum ducere iussus est. XVIII. *Venerunt reges & pugnarunt, pugnarunt reges Canaan in Thanach*) Alia amplificatio ex loco circumstantiarum, seu HYPOTYPOSIS, qua, imago praelij cum regibus Cananæis gesti, ita verbis expressa, & velut oculis subiecta est, ut cerni potius videatur, quam audiri. Adolescentes rursum Anadiploso exemplum insigne est Ausonij carmen: Res hominum fragiles alit & regit & perimit sors, Sors dubia aeternumq; labans, quam blanda fouet spes, Spes nullo sine fine æuo, cui terminus est mors, Mors auida, &c. *Venerunt reges*) Enallage numeri, pro Iabin aut Sisara: vel plures reges missis auxilijs Iabini exercitu auxerunt. *Canaan*) Iabin rex Canaan, Iudic. 4. 17. mercator. *In Thanach*) Ciuitas Leuitarum est inter Mageddo & Endor, cuius Ios. 17. 21. & alibi mentio fit. *Mageddo*) ciuitas in finibus tribuum Manasse & Isaschar, vicina Thanach, Ios. 17. propè quam Iosias postea imperfectus est, 4. Reg. 23. Hinc planctus Mageddo dicitur, Zach. 12. 11. turma, cuneus. *Et tamen nihil tulere prædantes*) Sie haben böse Beut ge- frieged/ in Ebræo, defiderabile argentum non acceperunt, vel, sine stipendio voluntarij militarunt: vel, tanto odio Israëlitarum ardebant, ut captos non dimittere viuos accepta pro redemtione pecunia, sed simpliciter trucidare decreuerint; vel simpliciter, non respondit eorum expectationi euentus, ut multum argenti & diuitiarum ex præda hostili referrent.

De cælo dimicatum est contra eos) Iosephus grandinem & fulmina de cælo in hostes vibrata fuisse refert, vel folis radij & venti cum puluere in hostium oculos inciderunt, sicut de Theodosij Imp. victoria canit Claudianus: O nimium dilecte Deo, cui militat aether, Et coniurati veniunt ad prælia venti!

Torrens Cison) in tribu Isaschar ortus, in duo brachia finditur, quorum alterum versus ortum, in mare Galilææ; alterum versus occasum, in mare mediterraneum exit. Hæc verò clades Sisaræ, in orientali alueo fluminis, versus lacum Galilææ ad Magdalum exeuntis, illata est. ideo torrens Cadamim, id est, orientalis, hoc loco vocatur, à quod tempus & locum anteriorem, tempus antiquum & locum orientalem significat. Anaphora etiam, tria commata ab eadem dictione ἡ incipiens, non modò ornatum orationi adfert, verùm etiam hanc loci atq; fluuioli Cison, in quo Cananæi fugientes abrepti perierunt, circumstantiam, & cladis hostium in torrente alioquin vado & facile periuio, pereuntium, inculcat & attente considerandam proponit. Ut enim cœlum & tempestates, ita torrens Cison quoq; tum solito tumidior Israëlitarum victoriam & Cananæorum cladem cumulauit, dum abrepta Cananæorum per torrentem fugientium caduera, instar excrementorum & puluerum scopis purgatorum & in amnem abiectorum, abripuit & auoluit, sicut mare rubrum Aegyptios & Pharaonem persequentes absorpsit, cùm tamen Debora, fortiter & viriliter amnem illum sine periculo transiret. Ita enim verba Ebræa in fine versus (calcasti ô anima mea (in) fortitudine) interpretantur, tametsi in genere Debora, per Apostrophen illam, & epiphonema, de fortissimis hostibus à se deuictis & concutatis velut triumphare, & Epinicion canere videtur.

XXI. *Vngulae equorum ceciderunt fugientibus*) Sie schlugen mit Fersens
oder / sie flohen so stark vnd vngestümme / daß ihnen die Schuhe / vnd den
Pferden die Hufeyßen entfielen.

XXII. *Maledicite terra Meroz*) Noua amplificatio ex loco contrariorum.
Maledicite terræ Meroz , benedicatur autem Iahel. Apparet autem Me-
roz , oppidum aliquod vicinum & populosum fuisse , cuius ciues , Debora
& Baraco auxilium in communi periculo potentibus negarunt . *vix disruptio à xvi vel macilentus à xvii*: *Dixit angelus Domini*) Non proprio furo-
re , odio aut cupiditate vindictæ , sed Deo præcipiente maledico . *Nec*
wenerunt ad auxilium Domini , ad auxilium Domini contra fortis) Deus non
indiget auxilio aliorum , sed membra veræ ecclesiæ Dei seu homines p̄i no-
stra ope indigentes , omnibus officijs iuuandi sunt . Matth. 25. Itc maledi-
cti , quod vni ex minimis istis non fecistis , nec mihi fecistis . Pueri etiam
Anadiplosin obseruent.

XXIII. *Benedicatur inter mulieres Iahel uxoris Aber Cinai , inter mulie-
res (seu , præ mulieribus) in tabernaculo benedicatur*) Comprobatio & lau-
datio facti Iahelis , quæ Sisaram ducem exercitus hostilis , ad se configuen-
tem hospitio benigne excepit , ac postea dormientem trucidauit , de quo in
præcedenti capite diximus . Est autem versus , Epanalepsī verbi benedica-
tur : & Epanodo clausula præ mulieribus , seu inter mulieres ornatus . Quæ
clausula in salutatione Angelica Mariæ virginis usurpatur , & emphaticum
est , quod in tabernaculo , non in castris , vel acie , dux exercitus hostium
à muliere interfactus esse dicitur . Cumq; benedicta inter mulieres Iahel
pronuncietur , simul *fides* Iahelis in benedictum semen Abrahæ promissum
in quo solo omnes gentes terræ benedicuntur , comprehendenda est , ex
qua tanquam fonte augusto , cæteræ virtutes & sequentia opera , quæ hoc
Deboræ carmine celebrantur , emanarunt . *In Phitala principum*) magna &
ampla . *Obtulit butyrum*) lac , ex quo nondum ablatum erat butyrum , pin-
guedinem lactis suauissimam , dñm Xām.

XXV. *Sinistram manum misit ad clauum*) Hypotyposis , ita euidenter om-
nes circumstantias & gestus interfæti Sisaræ describens , vt non narrari
sed oculis subiici videatur .

XXVII. *Per fenestram respiciens ululabat*) Alia amplificatio & exornatio
per comparationem , Dialogismum , Scrinocinationem , & Sarcasmum .
Cum Iahele enim benedicta inter mulieres , confert matrem Sisaræ à Iahel
interfæti , quam magno desiderio reditus filij ardente , & cur tardius
reuerteretur admirantem , & cum alia principe foemina colloquenter in-
trudicit . *Sapientior ceteris uxoribus*) Aulicis mulieribus ipsi ministranti-
bus , die Hoffmeisterin . Hæc socrui verba respondit . In Ebræo legitur , sa-
pientiores principum eius (foeminae principes ipsi in Gynæceo famulan-
tes) responderunt : Etiam ipsa conuerter verba sua ad se , id est , etiam ipsi
respondebat sibi ipsi , seu his verbis se solabatur .

XXIX. *Foritan nunc diuidit spolia*) Sarcasimus acerbissimus iacenti hoffi
in calamitate amarulentissime illudens ac insultans , vt ille apud Virgilium:

*En agros , & quam bello Troiane petisti .
Hesperiam metire iacens : haec præmia , qui me
Ferro ausi tentare , ferunt : sic mœnia condunt .*

Ita Sisara , qui à foemina interfætus erat , dicitur formosissimam foem-
inam in prædam accipere , sicut post victoriam visitatum fuit , pulcherrimas
foemi-

Chyf

fœminas imperatoribus donare, vt Pausanias post prælium ad Platæas, captiva Coa: Scipioni sponsa Allucij. Pulcherrima fœminarum eligitur ei) Ebraicæ, Matrix, duæ matrises, capiti viri: seu puella, duæ puellæ, capiti viri. Significat enim ~~enim~~ propriè eam partē corporis, quæ fœminæ propria est, & qua à viro distinguitur, matricem seu vterum. Inde ~~κατὰ συνεδροχὴν~~ partis pro toto, fœminam seu puellam, sic contemptissimè hostis illa, de fœminis Israëlitarum loquitur, & capiti viri, hoc est, singulis militibus Cananæis, vnam aut duas puellas Israëliticas ex præda attributum iri, Sisarae verò præstantissimas ac nobilissimas tintis pretioso colore & acu pictis vestibus ornatas, segregatum iri iactitat. Vbi enim nos legimus, *Vestes diuersorum colorum Sisarae traduntur* in Ebræo est, spolia colorum ipsi Sisarae, spolia colorum acu picti, color (discolor vestis) ex vtraq; parte acu picta, in collum spolij. *Spolia colorum*, id est, colorata, sunt vestes preciosis aut varijs coloribus infæcta, vt apud nos coccineo (mit Carmasin rotæ Sammat und Gewand) domi cellæ nostræ superbiunt. *Ac v p i c t a*, opere plumario vel Phrygiaico, varijs imaginibus & picturis exornata. Plinius, Trabeis usus accipio reges: *Pictas ve-* Lib. 8. cap. 45.
stes iam apud Homerum fuisse, vnde triumphales natæ. Acu facere, id Phryges inuenierunt, ideoq; Phrygones appellati sunt. Aurum intexere in eadem Asia inuenit Attalus rex, vnde nomen Attalicis. Colores diuersos picturæ intexere Babylon maxime celebrauit, & nomen imposuit. Virgilius: Dites pictai vestis & auri. Collum spolij quid nominet, nondum satis assequor. Nostra lectio latina supellectilem variam ad ornanda colla interpretatur. Alij per collum, caput seu ducem exercitus intelligunt, vt significet vestes acu pictas à reliquis spolijs segregandas, vt principi exercitus attribuantur.

XXX. *Sic pereant omnes inimici tui Domine: Qui autem diligunt te, sicut sol in ortu suo splendet, ita rutilent. Tricesimus & ultimus versus Epiphonemate illustri, ornato Antithetis, & Apostropha seu sermone ad Deum ipsum conuerso & simili, seu icone solis, carme concludit: & locum communem, seu usum & applicationem huius historiæ ad omnia ecclesiæ tempora & singulos transferendæ demonstrat. Ut Sisara hostis & persecutor populi Dei singulare exemplo diuinitus, duce fœmina profligatus, & per fœminam imperfectus, fedissime perijt: sic omnes tyranni & alijs impij, odio persequentes veram deo doctrinam & ecclesiam Dei oppugnantes horribiliter à deo punientur. Pij autem principes, nutritij ac protectores ecclesiæ, & homines priuati Deum & ecclesiam Dei amantes, & ad eam se pia voluntate, confessione, & alijs officijs aggregantes, & rogantes, quæ ad pacem sunt Hierusalem: vicissim à deo diligentur ac defendantur, & instar solis splendebunt in omni æternitate. Dan. 12. Matth. 13. Tunc iusti fulgebunt sicut sol in regno patris mei. Hunc locum communem clavis Sisarae & applicationem exempli ad omnia ecclesiæ tempora, tum alijs Psalmi, tum verò nominatim octogesimus tertius ostendit, quem initio cap. 4. repetiuimus.*

Quieuitq; terra per quadraginta annos) Hic numerus ad contexendam seriem annorum mundi excerptus, & cum cæteris aptè coniungendus est. Floruerunt autem his quadraginta annis apud Græcos, Erechtheus rex Athenieum, proauus Thesei: Perseus rex Mycenarum, proauus Hercules: Cadmus qui literas ex Phœnicia in Græciam attulisse scribitur: Pelops, proauus Agameimnonis: Mino^s Cretensis, &c. Qui omnes Deboræ & Baraco ~~σύντετοι~~ fuerunt.